



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

402. De Nativitate B. Virginis. De Constantia in bene cœptis, & modo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*De constantia in bene cœptis, &  
modo.*

**V**idebo Divam inter duas divinæ legis tabulas fascijs involutam. Petam constantiter adherere DEO.

*Conf. 1.* Constantia, & ad diligenter aliquid efficiendum perseverantia oritur ex gaudio de re, quam quis agit; nunquam enim fatigamur in executione actionis, quam cum lætitia & gustu facimus. Neq; unquam distrahimur ab eo, quod vehementer amamus, & cujus præsentia valde gaudemus. Beata Virgo recens nata habuit intellectum illuminatum à Deo, & repletum veritatibus æternis, illum esse beatissimum Viatorem, qui occupatur in Deo, qui ejus quærit amicitiam, qui Redemptori est charissimus, qui quàm maximè abest ab omni labe, qui quàm plurima meretur, qui nullum habet in se affectum tam parvum, quem non Deo impendat, & superimpendat propter infinitum, quod Deo debet, obsequium. Ideo constans permansit in adhærentia Dei, cui initio Immaculata Cœceptionis suæ adhæserat; quia amabat & gaudebat in ijs. qua Dei sunt.

*Conf. 2.*

*De Nativitate B. Virginis. 715*

*Conf. 2.* B. V. fascijs adhuc involutam, infantulam jam rationis compotem, visis varijs familiaræ domesticæ defectibus, constantiam suo Deo dicantem, usâque verbis illis: Quis poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo J. S. V. &c. tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certa sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit me separare, &c.

*Conf. 3.* Et petam hanc constantiam, & causam ejus, amorem & gaudium eorum, quæ DEI sunt; ut sicut vehemens calor liquofacit glaciem, eamque quasi à propria natura dimovet, ut effluat per terram, eam imbibat, & cum illa quasi unum fiat; sic vehementi Dei, ejusq; Legis amore fit, ut anima quasi diffluat & absorbeat, imbibatq; Deum, & unum efficiatur penitus cum Deo in sumptione sacratissimi Sacramenti.

MEDITATIO CCCCIII.

De S. Matthæo.

*De duplici pulsû, quo hominum corda movet Christus.*

**V**idebo Dominum misericorditer Publi-  
canum